



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Principes aliquando susoendebant prioris synodi iudicatum, nova synodo indicta. Quod factum à Theodosio in caussa Nestorij. Qui damnatus à Synodis Romana & Alexandrina, nisi resipisceret intra ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

IV. Legati Romani implorant auxilium Judicium in Synodo Chalcedonensi, adversus illius Synodi decreta, qua canonibus Nicanis erant contraria.

V. Principes restorationem judiciorum ecclesiasticorum rescriptis suis permittebant, qua de re alibi.

VI. Ab Episcopis quos in causis ecclesiasticis delegabat Princeps, ipse appellabatur, è Justiniano. Quod obtinebat in civilibus negotiis, & criminalibus, etiam Episcoporum, tempore Gregory Magni, quod ipse relictum esse scripsit. Lis in appellatione commissis Diacono sedis Romanae, & uni è Magistratibus, Judicium verò latum à Principe.

VII. Apud Græcos posterioribus seculis jus illud continuatum. Imò recitata synodo Patriarchæ à reo, Imperator causam ecclesiasticam ad suum tribunal traxit, è Balsamone, qui hoc factum non probat; quamvis judicem secularem adungi posse à Principe; iudici ecclesiastico putet. Quibusdam quoque tunc visum, à sententia Patriarchæ, Principem appellari posse, cum distinctione.

VIII. Qua ratione Principes Romani se gesserint in iudiciis canonicis, secundum ea que superioribus capitulis observata sunt.

I. NON solum autem judicia ecclesiastica Principes ordinabant, sed etiam aliquando synodo indicta ad controversias dirimendas, prioris sententiæ in iudicio ecclesiastico latæ executionem suspendebant. Ejus suspensionis exemplum, quamvis scelerato homini indultæ, dissimulare non debemus. Is erat Nestorius, vesanæ hæreseos, quæ Christum dividebat, auctor, quem Celestinus Pontifex communionem Ecclesiæ catholicæ dejecit, nisi decem dierum intervallo ab admonitionis die numerandum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizaret, literis ad Cyrillum Alexandrinum & Nestorium hac de re datis. Cyrillus Synodo Alexandriæ coacta, in eandem sententiam cum Celestino consensit, & Nestorium sui officij commonuit, missâ ex auctoritate utriusque synodi damnationis sententiâ, nisi intra decem dies respiceret. Nestorius de injuria sibi illata apud Theodosium conqueritur, & synodum generalem indicendam curat. Quod vix animadversum est, quia Nestorij petito rescripto Principis inserta non est; ejus tamen Celestinus fidem facit in epistola ad Clerum Constantinopolitanum: *Quis petitorum synodi, inquit ille de Nestorio loquens, crederet synodo abfuturum? Campum ad certamen exposcit, sacerdotale postulat, cui non erat adfuturus, examen.* Basilii quidem monachus synodi indictiōnem apud Theodosium libello dato urfit; sed Nestorij precibus coactam fuisse constat. Quod ad rem nostram attinet, rescripto suo Theodosius Concilium generale Ephesi celebrandum indixit, sed nihil innovari à quoquam, ante synodi cognitionem, jussit. Itaque executio sententiæ à Synodis

Romana & Alexandrina adversus Nestorium decreta, suspensa fuit à Principe, ne præjudicium aliquod fieret cognitioni futuræ Synodi Oecumenicæ: *De indicta autem sanctissima Synodo, nostra serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit; quo nimirum hac tandem ratione turba, que ex multis dissidiis & concertationibus hinc inde enate sunt, rite secundum ecclesiasticos canones consopiantur, & illa præterea que parum decenter hæcenus amissa sunt, corrigantur, & pietatis denique, que in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur. Ceterum ante sanctissimam coactam synodum, communemque eisdem, que de omnibus dabitur, sententiam, nihil quidquam in nulla prorsus re privatim à quoquam innovetur.* Equidem non perpicio quæ ratione hanc suspensionem Theodosius decernere potuerit, nisi petitioni Nestorij, qui se indicta causâ damnarum conquereretur, ejusque, si lubet, appellationi locum demus, quæ ad Concilium indicendum Theodosium provocavit; ita ut interim appellatione pendente, vel si mavis restitutione in integrum, nihil innovaretur. Cujus suspensionis tantum abest ut querelam moverint patres in Concilio Ephesino; quin potius rescriptum Acis inferi jusserint, & suspensionis rationem omnino habuerint. Nam conventus est tribus Edictis Nestorius ut se synodo adjungeret, & unâ cum ceteris Episcopis consideret, quemadmodum loquitur Petrus Episcopus Lampæ; scilicet *ut fidei doctrinam unâ cum synodo discuteret, sicut retulit Ioannes Hephæsti Episcopus; ipseque passim Actio- ne prima Concilij, Deo amantissimus Episcopus dicitur.* Deinde ipsa damnationis Nestorij formula nunc primùm illum episcopali dignitate dejecit, non autem antea dejectum fuisse pronuntiat.

II. His adjiciendum, auctoritatem quoque Principum à Romanis Pontificibus interpellatam ut res contra canones à synodis gestas restituerent in integrum, aut saltem earum executionem suspenderent, donec majori synodo omnia componerentur. Cujus rei illustrissimum exemplum præbet Leo I. in causâ Flaviani. Eutyches Presbyter & Archimandrita Constantinopolitanus, nefandæ hæreseos auctor, damnatus à Flaviano Archiepiscopo Constantinopoleos & ab ejus synodo, ad Concilia omnium Patriarcharum cum provocasset, à Theodosio Imperatore impetravit Concilium Ephesinum secundum, cui ex rescripto Principis præfuit Dioscorus Alexandrinus. Rectè & ex ordine indictum erat Concilium, cui & Legati Romanæ sedis ceterique Patriarchæ aderant; ita ut nihil huic conventui videretur

Epist. Theod. i. ad Concil. Ephesi. ubi dicitur: *Quia in hac synodo, quæ in Epheso celebrabitur, de his rebus, quæ in synodo Chalcedonensi factæ sunt, rite secundum ecclesiasticos canones consopiantur, & illa præterea que parum decenter hæcenus amissa sunt, corrigantur, & pietatis denique, que in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur.*

Act. i. Conc. Ephesi. i. *ut fidei doctrinam unâ cum synodo discuteret, sicut retulit Ioannes Hephæsti Episcopus; ipseque passim Actio- ne prima Concilij, Deo amantissimus Episcopus dicitur.*

Vide lib. 7. cap. 64. p. 5.

Celestin. ep. ad Cyril. & ep. ad Nestorium.

Vide Responsum ad Cyrillum Alex. in synodo Chalcedonensi.